









74

CIMELIA







pro domo Sthanolowsky

ADMONITIO

ATQVE HORTATIO LE-
gatorum sedis Apostolicæ ad patres
in Concilio Tridentino, lecta
in prima sessione.,.,



Febr. 4663.

CRACOVIAE

Apud Viduam Floriani.

ANNO DOMINI. M. D. XLVI.



Cim. O. 74.



Pueren. Patres &c. Cum ipsa munera
ris nostri ratio, qui in hac sancta Syn-
odo presidentium, & Sedis Aposto-
lice Legatorum personā gerimus, hoc
postulatura videatur, ut crescentibus
negotijs, quæ in hoc sacro consessu ad Dei gloriam, &
Ecclesiæ utilitatem sunt expedienda, sæpius apud uos
cohortandi, & commonendi causa uerba faciamus, tum
uero in hac prima sessione, quæ fœlix (ut speramus)
principium ipsi Concilio est datura, minime hoc à nobis
prætermittendum duximus, eò uero libentius hoc offi-
cio fungimur, quia cum uos uel hortamur, ut ea faciatis,
quæ digna tanto conuentu sint, uel a contrarijs dehorta-
mur, nos metipsos etiam hortamur, ac dehortamur, qui
in eadem quasi naui uobiscum sumus, iisdemque periculis,
quibus uos, iisdem tempestatibus subijcimur, nos metip-
sos inquam excitamus ad uigilandum, ne uel in scopulos
incidamus, qui plurimi proculdubio in hoc cursu se se of-
ferent, uel magnitudine negotiorum tanquam fluctuum
obruui nos negligentia nostra patiamur: uerum spe, &
fide erecti eo nauigationem dirigamus, quo maxime por-
tus salutis ad Dei gloriam in Christo Iesu se se ostendet.
Igitur, ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc prin-
cipio admonendi omnes sumus, unusquisque nostrum ante
oculos sibi inprimis proponere debet, quæ nam sint, quæ
ab hoc sacro Concilio expectentur, ex quo quisque facile
intelliget, quantum sibi oneris incumbat. Sunt uero ea
(ut omnia summatim complectamur) quæ in bulla indi-
ctionis

tionis Concilij continentur, nempe heresum extirpatio,
disciplina ecclesiastica, & morum reformatio, ac tandem
pax externa totius Ecclesie. Hec ergo sunt, quæ nos cu-
rare, uel potius pro quibus assidue orare, ut Dei benig-
nitate fiant, oportet, atq; illud est, de quo ante omnia in
ipso Concilij exordio omnes, & singulos, qui huc conue-
nimus, primum aut nos ipsos, qui in tam sancto ministe-
rio præsidemus, admonendos duximus, ne unquam co-
gitemus, uel per singulos, qui hic adsunt, uel per uniuersum
Concilium, etiam si omnes Pastores ex uniuerso ter-
rarum orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex
Christi est oppressus, prouideri posse. Si enim putamus
hoc a nobis perfici posse, aut ab alio, quam ab ipso Chri-
sto, quem Deus pater unicum nobis seruatorem, & Pa-
storem dedit, cui etiam omnem potestatem dedit, erra-
mus sanè in fundamento omnium actionum nostrarum,
& diuinam iram magis prouocabimus, adiungimus enim
ad superiora mala quæ propterea nobis acciderunt, q
ipsum fontem aquæ uiuæ reliquimus, hoc alterum maxi-
mum peccatum, q nostra uel prudentia, uel potentia iys-
dem malis mederi uelimus, ut merito de nobis dicatur,
quod propheta in persona Dei ueterem populum accu-
sans, dicit. Duo mala fecit populus hic, me derelique-
runt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas non
uolentes continere aquas. Tales uero cisternæ sunt om-
nia consilia, quæ a nostra prudentia, non a flata spiritu
diuino, proficiuntur, quæ non modo populos in pieta-
te, & obedientia, tanquam aquas in cisternis continere,

non ualent, sed quo magis his artibus retinere eos laboramus, eo uolentius tanquam torrentes a nobis defluunt & discedunt, ut superiorum annorum experientia multis in locis satis nos docere potest, & nunc admonere, uanicam tantum uiam medendis his malis relictam, si nostra omnia remedia inutilia esse agnoscentes, & ualere potius ad augenda q̄ ad tollenda mala, ad Christi potentiam, quem dexteram suā Deus pater appellat, ad Christi sapientiam, qui est sapientia patris, in omnibus nos, qui patrum personam gerimus, fide, & spe confugiamus, huius nos in omnibus ministros esse agnoscamus.

„ Hic uero queritur (inquit Apostolus) inter dispensatores, ut fidelis quis intueniatur? Hoc aut nunc nobis agendum est, ut ministros nos in omnibus idoneos praebeamus. Erimus uero idonei, si nos ex nobis minime idoneos esse iudicauerimus. Quis enim (inquit idem Apostolus) ad hanc idoneus? ut qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quasi ex nobis, simus sufficientes. Verum hoc fateri non satis est nobis, hoc dicere potuit Apostolus, & per hanc portam ingredi ad obeundum munus suum, & in eo se ministrum fidelem, ac idoneum ostendere, qui simul dicere potuit, de ministerio suo loquens. Nihil mihi conscius sum. Nobis uero, qui si uerum fateri uolumus, aliter dicere non possumus, quin nobis conscij simus in administrando munere nobis imposito, in plurimis defecisse, & horum etiam malorum, ad quae corrigenda uocamur, non minima ex parte causam extitisse, non satis est hic fateri, ad tantum munus nos impares esse. Quid ergo nobis

nobis agendum, ut idonei hoc tempore Christi ministri
in Ecclesia instauranda esse possimus? idem prorsus, quod
Christus ipse Episcopus animarum nostrarum fecit, cum
uenit ad fundandam et formandam Ecclesiam suam, idem
sancti Patres faciendum erit nobis, quod ipsa sapientia Pa-
tris fecit, cum uenit, ut multos filios in gloriam adduce-
ret, id quod nobis item propositum nunc esse debet. Is enim
cum oppressos peccatis omnes inuenisset, omnia omnia-
um peccata in seipsum transtulit, sequi unum ante Deum
pro omnibus reum, et nocentem constituit, ac poenam
nobis debitam sustinuit, tanquam omnia flagitia, et om-
nia scelera, quae nos commiseramus, ipse commisisset, cum
tamen ab omni labe peccati purissimus esset, quippe qui
peccatum non fecit, neque unquam inuentus est dolus in
ore eius. Quod uero Christus pro immensa sua charita-
te erga Deum patrem, et pro misericordia erga nostrum
genus fecit, hoc nunc, ut ipsi faciamus, iustitia ipsa a no-
bis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Chri-
sti est oppressus, nos Pastores coram tribunali misericor-
diae Dei reos constituamus, atque omnium peccata in nos ip-
sos non tam pie quam iuste transferentes, quia reuera
horum malorum magna ex parte nos causa sumus, diuinam
misericordiam per Iesum Christum imploremus. Quod
uero dicimus, nos pastores his malis, quibus Ecclesia est
oppressa, causam dedisse, si quis hoc acrius, et magis
per exaggerationem quandam uerborum, quam uere dictum existi-
met, hoc quidem ipsa rerum experientia, quae mentiri non
potest, comprobabit. Respiciamus ergo paululum ad ipsa

malis, quibus Ecclesia opprimitur, ac simul etiam ad
nostra peccata. Sed quis hæc numerare ualeat? quæ si-
mul cum reliquis malis multitudine superant arenam
maris, & usq; ad cælum clamat. Circumscribamus ergo
tantam multitudinem nostrorū malorū illis limitibus,
quibus hoc Conciliū, quod capitalibus malis madēdis
est uocatum, ea circumscripsit. Sunt uero illa tria, quæ
supra commemorauimus, hæreses, lapsam morum disci-
plinam, & intestinū, atq; externum bellum, hic ergo
uideamus, & cōsideremus, cum iam multis annis Ecce-
sia his calamitatibus uexetur, unde nam ipsa originem
habuerūt, num illis nos quodam modo principium, num
fomentum dederimus? Primum uero examinemus initium
hæresum, quæ hac nostra etate passim pullularūt, quibus
si negare uolumus nos principium dedisse, quia nullius
hæreseos ipsi auctores fuimus, tamen cum peruerse de
fide sententiæ, tanquam uepres quædam sint & spine
quæ in agro Domini, qui nobis colendus cōmendatus est
ortæ sūt, & si illæ quidem sua sponte, ut solent aliquan-
do uitiose pullularūt, tamen qui non coluit quæ, debuit
agrū, qui non seminauit, qui pullulantes per se non sta-
tim curam adhibuit, ut extiparet, non minus quidē prin-
cipium illis dedisse dicendus est, q̄ si ipsas seminauerit,
presertim cum hæc omnia à negligentia agricolæ ortū
ducant, & incrementum habeant. Hic ergo se ipsos ex-
cutiant, qui sunt agricolæ in agro Domini conscientia
suam interrogent quo modo in eo colendo, quo modo
in seminando se gesserint, quod qui fecerint his præser-
tim

tim temporibus, quibus paucissimi agro Domini colendo
incumbunt, non multum credimus dubitabunt, num ad
iplos pullulantium passim in Ecclesia heresum culpa
pertineat. Hæc uero mouendi tantū causa dicta satis
sint de his, quæ ad primum caput pertinent. Veniamus
ad secundum, quod lapsam morum disciplinam & an-
busus (ut uocant) complectitur. Hic uero nihil attia-
net diu inuestigare, qui nam tantorum malorum aucto-
res fuerint, cum præter nos ipsos ne nominare quidem
ullum alium actorem possimus, Quare ad tertium ac-
cedamus, quod impedimenta pacis Ecclesiæ in se con-
tinet, qualia sunt arma, uel domestica, uel externa,
hæc enim iam pridem pacem Ecclesiæ perturbarūt, &
adhuc perturbant, de quibus hoc tantum dicimus, si
(quod Deus ipse certissimis signis ostendit) hæc arma
flagella eius sunt, quibus nos affligit, quia duorum pri-
orum capitum rei sumus, in quibus nos excusari non
possumus, etiam horū armorū præcipuam nos causam
esse, negare non possumus. Eiusmodi uero flagella De-
um ob eam causam immittere censemus, ut nos peccan-
tes castiget, & peccata ipsa, quibus Maiestatem eius
maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic ue-
ro quisquīs aliquando animaduertit, quibus modis Ec-
clesia armorum uiolentia uexata fuerit, secum ipse cō-
sideret, quæ nam illa sint, in quibus præcipue Ecclesia
propter ipsa arma detrimentum patiatur, Nec uero
hic refert de quorum armis loquamur, siue de intesti-
nis nostrorū principū, siue de externis Turcarū armis,
quæ

qua superioribus annis nos magnis calamitatibus affe-
cerūt, siue de eorum, qui ab obedientia suorum Pasto-
rum discesserunt, & ipsos a suis sedibus, expulerunt.
Hoc enim summam dicimus de omni genere armorū,
si qui illa contra nos tractarūt, à suis Ecclesijs Pastores
fugarunt, ordines confuderunt, Laicos autem in Epi-
scoporum locum suffecerunt, Ecclesie bona diripue-
runt, cursum uerbi Dei impediuerūt, hic inquam dici-
mus, nihil horum esse, quod in libro abusuū Pastorum
maxima illorū pars, qui hoc nomen sibi uendicant, per
se factam esse, si legere libuerit, non scriptū a pertis uer-
bis inueniat. Nostram enim ambitionem, nostram aua-
riciam, nostras cupiditates, his omnibus malis, populū
Dei prius affecisse statim inueniet atq; harum ui ab Ec-
clesijs Pastores fugari, easq; pabulo uerbi priuari, bo-
na Ecclesiarū, quae sunt bona pauperū, ab illis tolli, in-
dignis sacerdotia conferri, & illis, qui nihil a Laicis,
præterquam in uestis genere, ac ne in hoc quidem disse-
rūt, dari, Quid enim horū est, quod negare possimus
per hos annos a nobis factum esse? Quare si Turca,
si haeretici hoc idem aduersus nos faciūt, quid hic aliud
q̃ flagitia nostra, & simul iustū Dei iudiciū uidemus?
iudicium uero plenū misericordia, si enim pro meritis
nos castigaret, iam pridem sicut Sodoma, & Gomorra
fuissemus. Cur uero hac nūc cōmemoramus, an ut uos
confundamus? absit, sed magis ut uos ceu Patres, &
fratres charissimos, primum aut nosmetipsos admonea-
mus, quo pacto hæc, quibus nūc affligimur, flagella,
& grauiora

Et gratiora, quæ impendent, nisi respiciamus, uitare
possumus, ut effugiamus tremendum illud Dei iudicium
omnibus quidem non respicientibus tremendum, ma-
xime uero illis, qui præ sunt. Iudiciū enim graue (inquit
scriptura) his qui præ sunt, fiet. Iudicium uero incipere
nunc uidemus a domo Dei, dum enim nunc eijciuntur
sacerdotes dum conculcātur ab hominibus, quid aliud
hoc indicat, quā diuinum de nobis iudicium; quod præ-
dixit Christus, cum diceret, Sacerdotes suos esse sal tera-
ra, quod si sal euauerit, ad nihil ualere ultra, nisi ut
eijciatur foras, & conculcetur ab hominibus? hæc ue-
ro omnia nos nunc patimur, quod si propter iustitiā
ut nostri maiores, beati nos quidem? at nunc iuste qui-
dem, quia sal euauit, minime autem propter iustitiā
patimur, in omnibus enim nostris afflictionibus uide-
mus iudiciū Dei, atq; ut inam quidem illud uiderem⁹,
hoc enim initium esset omnia Dei iudicia, & flagella
effugiendi atq; in gratiam, & ueram gloriam ingre-
diendi quæ res fecit, ut in his cōmemorandis acriores,
& longiores fuerimus, nisi enim hæc bene cognita
& perspecta fuerint, frustra intramus in Concilium
frustra inuocamus Spiritum sanctum, qui primum
ingressum in animā hominis semper facere solet, per
ipsius hominis condemnationem, ut condemnet mundū
de peccato: quare nisi ille spiritus nos apud nosmetip-
sos primum cōdemnauerit, nondum illum ingressum
esse ad nos affirmare possumus, ac ne ingressurum qui-
dem, si peccata nostra audire recusamus. Idem enim

B

dicetur

dicetur nobis, quod populo ueteri per Prophetam
Ezechielem est dictum, cum nondum agnitis suis sceleri-
bus Deum per Prophetam interrogare uellent, sic aut
ait Prophet. i. Venerunt uiri Israel ad interrogandum
Dñm, & sederunt coram me, hæc aut dicit dñs. Nihil
ad interrogandum me uenistis? Vivo ego, dicit Domus
quia non respondebo uobis. Sequitur aut. Si iudicas eos
abominatiões patrū illorū ostende illis. In quibus uer-
bis ostendit Deus, quare noluerit respondere illis, quia
nondum scilicet abominatiões suas, & patrū suorum
audierant. Quare cū idē Dei spūs sit, qui tum dabat re-
sponsa, & quē nūc nos sedentes corā domino inuoca-
mus, quid nobis faciendum sit, ut propitia responsa
habeamus, ex his uidetis, & simul quā necessario
nos, qui presidemus in hoc sacro confesse, à detegen-
dis nostris peccatis sermonis exordium uobiscum duxi-
mus. Quia uero nonnullos nunc uidemus, sua primum
peccata, & nostri ordinis grauitate deflentes, atq; Dei
misericordiam omnibus uotis implorantes, ideo qui-
dem in maxima spe sumus, ad nos uenisse, quem inuo-
camus, Dei spiritum, hoc uero maximū pignus, diui-
nae misericordiae habemus, nempe ipsam hanc inchoa-
tionem Concilij, in quo nunc cōuenimus ad erigendam,
& instaurandam penē collapsam Ecclesiam, ut uetus
populus post diuturnam captiuitatem apud externos
reges redigijt Hierosolimam ad instaurandum templū,
in illius uero populi stato, in illorum lætia ad patriam
profectiōe, & tēpli instauratiōe, nostri quidē tēporis

¶ nostri status, in hoc præsertim Concilio, imaginem
intueri possumus, & in Ducū, eiusdem populi exem-
plo, vestrum, qui Duces estis populo Dei ad celestem
patriam cōtendenti, officium videre. Quare omnes
vos magnopere hortamur, ut sapius ad memoriam re-
uocetis, quæ in Esdra, quæ in Nehemia, quæ etiam in
Danielis libris sunt scripta, in quibus cōsilia omnium
Ducum populi explicantur, quæ hunc vnum semper
scopum habuerunt, ut sua, & populi, atq; Patrū pec-
cata confitentes, ad poenitentiam, & implorationē di-
uine misericordiæ omnes excitaret. Quod cum popu-
lus fecerit, tum quidē omnia illis feliciter succedere,
eadem vero cōsilia nobis, si felicē successum, & exitū
expectare volumus in instauranda Ecclesia, ob quam
causam læti huc in spiritu cōuenimus, sequenda erunt,
atq; eo quidē magis, quo etiam maiora vobis certami-
na impendent instauraturis Ecclesiam, q̃ illis instaura-
turis templum. Si enim illis multi, quo minus id perfici-
ceretur, se opposuere, si multi etiam, cum opus impe-
dire non possent, eos irriserunt, hoc quidē sic habeto-
te, nobis nec irrisores de futuros, nec qui maximis vi-
ribus à cœpto opere nos deterreant, & auocent, ha-
bebimus vero nō modo colluctatiōem cum carne, &
sanguine, sed cum spiritualibus requitijs in celestibo.
Verū his omnibus potentior estis, in cuius nomine hoc
opus sumus aggressi. Quare in eo cōfidamus, ipsum
precibus inuocemus, & ipse omnia perficiet. Quia
vero hoc Cōcilium cum deliberantiū, tum vero iudi-

cantiūm speciem refert, in quo & deliberatur de ijs,
quæ ad uniuersalis Ecclesiæ bonum pertinet, & etiam
iudicatur tã de rebus, q̃ de personis, sedemus enim tan
quam iudicantes duodecim tribus Israel, quibus com-
prehenditur uniuersus populus Dei: ideo hic maxime
locus uidetur nos ipsos admonendi, ut caueamus ab
his, quæ uel cōsultandi, uel iudicandi uim in nobis de-
prauare solent. Hec uero sunt ipsæ animi passionēs,
quæ ideo etiam perturbatiōes uocantur, quia rectū,
& uerum de rebus iudiciū & sensum perturbant, ac
peruertūt: in quibus maxime illa sunt cauenda, quæ
recte monet Ethnicus ille in cōsilijs abicienda, cū dicit
Omnes homines, qui de rebus dubijs cōsultant, ab ira,
odio, amicitia, uacuos esse debere, nam cū hæc omne
genus hominū sit propensum, iū uero ij maxime, qui
principibus seruiūt, tales enim uehemētiores habēt af-
fectiōes, facillime autē ad gratiā loquūtur, uel ad odiū
ut scilicet ipsos existimēt Principes affectos esse, a qui-
bus mercedē expectāt. Cū uero de principibus loqui-
mur, tam de his, qui Ecclesiastici uocantur, q̃ qui Se-
culares, loquimur: ac licet quidē nos Principes Chri-
stianos habere agnoscamus & gaudeamus, id quod in
ueteri, & iam recēs fundata Ecclesia Patres nostri nō
habuerūt, tamē añ oīa nobis in hoc Concilio semper est
animaduertēdū, hūc nō esse locū laudandi aliquē, nisi
sōlū Deū in Christo Iesu, atq; illū sōlū iustificandi, om-
ne autē genus hominū cōdēnandi: primū uero nos ipsos
qui hæc loquimur, ut cū Daniele dicamus. Nobis cōsu-
sio faa

sio faciei, Regibus nostris, Principibus nostris, & Pa-
tribus nostris, qui peccauerunt, tibi autē Dñō Deo no-
stro misericordia, & propitiatio, quia recessimus a
te, & nō audiuimus uocē dñi Dei nostri, ut ambulare
mus in lege eius, quā posuit nobis p̄ seruos suos Pro-
phetas. Et omnis Israel prauaricati sunt legē tuam,
& declinauerūt, ne audirēt uocē tuā, & stillauit su-
per nos maledictio, & detestatio. Hic uero nūc loco
esset, ut eiusdē Prophetę exēplū sequētes, cuius uer-
ba modo recitauimus, nō solū nostra, qui Sacerdotes
sumus sed populi, sed Principū coram Deo, & Eccle-
sia eius peccata cōfiteremur, proq; oībus ueniam im-
ploremus. Sic uero dicit Daniel. Cūq; adhuc loquerer
& orarē, & cōfiterer peccata mea, & peccata po-
puli mei. Nōmīe populi hoc loco omnīū ordinū per-
sonas cōplectēs, ut eius cōfessio, quā modo recitau-
mus, declarat. Quia in re, quid nobis, qui pro salute
uniuerse Ecclesie tantis malis oppressi, huc cōueni-
mus, faciendū sit, satis indicare uidetur, nimirū, ut no-
stra, & simul Principū, ac populi peccata flentes, cō-
fiteamur id quod plane in spiritu mœroris satis nūc
abūde facimus, uerbis uero uberius faceremus, si ipsi
Principes adessent, qui suā nobiscū cōfessionē & la-
chrymas coniungerēt. Eiusmodi uero quasi funiculis
peccatorū, ut Propheta loquūtur, Sacerdotū ac Prin-
cipū, atq; ipsius populi peccata sunt colligata, ut dif-
ficile sit de unius ordinis peccatis inquirere, quin re-
liquorū simul ordinū peccata appareant. Sic uera dō-

nes ordines una oratiōis serie accusans, in ueteri po-
pulo dicit Ezechiel in persona Dei. Sacerdotes eius
cōtēpserūt legē meā, & polluerūt sanctuaria meā, in-
ter sacrū, & prophanū nō habuerūt distantiam. Prin-
cipes eius in medio illius, quasi lupi rapiētes prādā
ad effundēdū sanguinē, ad pdēdas animas, & auara
sectanda lucra. Populi terræ calūniabantur calūniā,
Hæc illæ, Quæ utinam ad illa solū tēpora ptinerent,
ac nō nostri quoq; tēporis imaginē referrēt. Utinam
cū de corruptela morū sacerdotū loquimur, huic ma-
ximā occasione, maximā materiam, & auctoritatē
ipsos Principes, atq; ipsū populū dedisse negare pos-
semus. Sed reprimamus nūc uerba usq; ad tēpus ma-
gis oportunū, fontes aut cōmunū lachrymarū aperi-
amus. Redeamus uero ad eos, quos cœpimus admonē-
dos, præsertim Episcopos, qui cū mandatis Principū
huc uenerūt. Sic uero illos admonemus, ut omni, quā
possunt fide, & diligētia suis principibus seruiant,
uerū ut Episcopos decet, sic illis seruiant, ut serui Dei
nō ut serui hominū. Nolite, inquit Apostolus, serui
hominū esse. Primū uero seruiant uni Regi Christo,
cui Deus pater omnē potestātē dedit, deinde uero p-
pter eū, omnibus, maxime aut Principibus, cui ho-
norē, honorē, cui tributū, tributū. Hortamur autē,
ut Principibus seruiant ad honorē, quēadmodū eorū
mandata uerbis ipsis præse ferunt, in quibus nihil fe-
rē, nisi honorificū, & ad publicam utilitatē spectans
proponitur. Sic uero in summa seruiant, ut eorū
officiū

8
officiū in primis spectet ad honorē Dei, & utilitatē
huius Cōcilij, quod propter publicū bonū est cōuocā-
tum. Quare ut ab hoc maxime dehortamur omnes,
qui hic sentētiās coram Deo, & Angelis eius, atq; co-
ram uniuersa Ecclesia sumus dicturi, ne ad gratiam
hominis alicuius loquāmur: sic etiam multo magis,
ne a lōdū cuiusquam sentētiā proferamus, etiam
si cōtra nos aduersarij, uel inimici, & hostis personā
gerat: deniq; ut ab omni inter nos cōtentionē absteinea-
mus, maxime optamus, & in Dominō hortamur. He-
enim sunt, quę cōtristant, & repellunt, quę inuoca-
uimus spiritū sanctū, sine quo nihil omnino facere po-
terimus, quod ad bonū, & pacē Ecclesię cedat. Cum
enim (inquit Apostolus) sint inter uos cōtentiones, cō-
nōne homines estis, & secundū hominē ambulatis? cō-
Cum uero homines eos appellat, spiritus Dei exper-
tes intelligit. In omnibus aut, quę ad reformationem
Ecclesię pertinet, ob quam causam cōuenimus imi-
tari nos oportet illam, qui eam primum formauit, de
quo ad ipsum opus ingrediente, sic in persona Dei
Propheta loquitur. Ecce seruus meus, quem elegi, cō-
dilectus meus, in quo bene complacuit anime mee: tē-
dedi spiritum meum super eum, iudiciū gentibus a- cō-
nunciabit, non contendet neq; clamabit, arundinem cō-
quassatam non confringet, & linum fumigans non cō-
extinguet. Hunc uero spiritum pacis, charitatis, &
mansuetudinis, cum semper apud omnes, & cum om-
nibus ostendere debeamus, tum uero maxime in hoc
sacro

sacro confessu, in quo contenimur, ut per gratia ipsius Spiritus, contentionibus, quae diu nimis Ecclesiam uexarunt, finis tandem imponatur. Quare ne ipsi ullam contentionis ansam alicui demus, qui pacificorum personam gerimus, maxime est cauendum. Hoc uero, & cetera omnia incommoda, & impedimenta pacis unico modo euitabimus, atque ad optatum pacis portum perueniemus, si precibus ab humili, & contrito corde profectis, ipsum Christi spiritum, qui est pax nostra, inuocauerimus, ut in hoc Concilio praesideat, ut lucem cordibus nostris infundat: utque nos in omnibus ad ipsius honorem, & ueram Ecclesiae utilitatem regat, & dirigat. Ad tales enim ipse discit. Adhuc te loquente, ecce adsum. Quare ut huiusmodi orationibus assidue incumbamus, quantalibet possimus charitate uos in Domino hortamur, ut uno ore, atque uno spiritu Deum Patrem in Christo Iesu glorificemus, qui est Deus benedictus in secula.

Amen.

ip
am
pse
on
oc
eta
cis
n=
est
ca
os
ie
lia
is
n
C
B
P
P
A
B
H
P
C
M
M

